

1776,47
DE
FEVDO DOTALITII 12
COMMENTATIONEM
ORATIONI SOLEMNI
ADEVNDI MVNERIS CAVSSA
IN AVDITORIO IVRIS CONSVLTORVM

A. D. VI. MARTII A. C. CLCCLXXVI.

H O R A I X.

RECITANDAE PRAEMISIT

C H R I S T I A N V S R A V,
PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR,
PROFESSOR IVRIS PUBLICVS EXTRAORDINARIUS.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA

G. D. K. L.



ПЕТР ФАБР СО СВУРС

МНОИТАРИИМОС

ИИДСЯ МОГАЛО

ЛЮСТОРИЧИЧИСКА

ЛУОСЛЮСО СИРОБОТЫ



ЗАПЧЕЛ

ЛІЧЕНІЕВСАЛ АНІОЕТО ЗІ



Operae pretium visum est de Feudo dotalitii non-nihil disputare. Cuius quidem Feudi, quod inter varias Beneficiorum species olim certe haud profecto ultimum locum tenuit, et si meminerunt, tum qui iura Feudorum in uniuersum enarrarunt, tum passim nonnulli eorum, qui totum illud argumentum de dotalitio singularitudo industria tractauerunt, quorum indicem texuit
IO. HENR. CHRIST. de SELCHOW Vir Illustris in Elem.
Iur. Germ. Part. Special. Lib. II. Cap. I. Sect. 2. tit. 3. praecipuos autem laudauit Illustris IO. THEOPH. SEGERVS in eruditissime scripta dissertatione, de alimentis viduae indotatae ex feudo praeflandis, vbi eandem materiam de dote germana denuo illustrauit: tamen qui paullo copiosius, quemadmodum caeterorum singulorum feudorum species commentati sunt singuli, eius naturam et indolem peculiari libello exposuerit, noui profecto neminem. Solent quidem Interpretes Iuris Clientelaris laudare IO. IOACH. MÜLLERVM,

A 2

qui

IV

qui in docta de hoc argumtento obseruatione, quae in eiusdem
Endecken Staats Cabinet Eröffn. IV. cap. 2. habetur, praeter
multitudinem exemplorum praestantissimorum, ad usum hu-
ius feudi cum inter illustres personas, tum inter inferioris no-
bilitatis homines demonstrandum allatorum, nonnulla etiam
notauit, quae ad formam illius quodammodo cognoscendam
faciunt. Verum enim uero cum totum hoc argumentum non
dum tantopeire exhaustum sit, ut nihil prorsus aliorum indu-
striae relictum videatur, neminem putamus nos magnopere
vituperaturum esse, si colligendis iis, quibus natura huius
feudi plenius adhuc excuti atque curatius indagari possit, a
nobis laborem impensum viderit. Ac primum quidem no-
bis vel non monentibus intelligitur, feudum dotalitii no-
men sortitum esse a re, quae feudali sub nexus conceditur,
nempe a *dotalitio*, quod, ut alias eius denominations di-
uersis populis vt Flandris, Francis, Sabaudis, Neapolitanis
et Delphinatibus usitatas, quas iam adduxit Vir Illustr.

ERN. MART. CHLADENIVS in Diff. Ius *Viduae doariae*
an sit merus ususfructus §. 1. not. e) nunc tacitus praeteram,
etiam *doarium*, *viduuum*, *vidualitium*, et quia ordinario ad
dies vitae dari solet, *vitalitium* vocatur. Vnde HAL-
TAVSIVS in Glff. germ. med. aeu. quod curante Illustri
BOEHMIO Praeceptore nostro venerando prodit, *sub*
voc. Leibgedingstehr ipsum hoc feudum *vitalitii* feudum ap-
pella-

pellavit; germanice dicitur *Leibgedingslehn*, *Wittums Lehn*, quemadmodum dotalitium ipsum vernaculo sermone effertur nominibus *Wittum*, *Wittibenfitz*, *Lipgeding*, *Leibzucht*, et in charta de ao. 1326. ap. G V D E N V M in Cod. Diplom. Tom. III. p. 244. quam excitauit Vir Illustr. GEORG. LVEDOV. BOEHMERVS Princip. Iur. Feud. Lib. I, Sect. II. cap. XI. §. 233. a.) *Wedemen Recht*. Intelligimus autem per feudum dotalitii eam clientelae speciem, vbi vxori in casum viduitatis dominium vtile praedii cuiusdam, quod maritus possidet, sub lege fidelitatis Vasalliticae a domino directo per inuestituram ita tribuitur, vt non solum ius vtendi fruendi feudo habeat, aut assignatos ex eo redditus percipiat, sed ipsum fundum tanquam Vasalla temporaria vidualitii nomine consequatur. Originem huius feudi etsi non tetigit MÜLLER VS c. l. nemo tamen non perspiciet, ipsam dotalitii constitutionem ei occasionem praebuisse. Etenim, vt rem omnem ab initio repetamus, apud veteres Germanos, vt auctor est TACITVS de mor. Germ. cap. 18. et manifestum quoque ac certum facit legum antiquarum formularumque solemnium consensus, quem laudauit IO. ADAM. KOPPIVS von Verwidemung der Lehngüter ohne Lehnherlichen und Agnaten Confens §. 3. in den Proben des Teutischen Lehnrechis num. V. cum maritus quidem vxori, non vxor marito, quemadmodum apud Romanos dotem afferret, quando-

A 3

quidem

quidem quod idem Tacitus scribit, sponsam futuro marito
 vicissim donasse, id dotis nomen neutiquam obtinuit, vt
 NIC. HIER. GVNDLINGIVS de emtion. vxor. dot. et Mor-
 gengab. c. II. §. 6. et 15. nec non IO. GOTTL. HEINEC-
 CIVS in Elem. Iur. Germ. Lib. I. Tit. XI. §. 241. et 242.
 latius demonstrarunt, ipsaque etiam haec dos non in com-
 pensationem munerum muliebrium, nisi vnius alteriusue gen-
 tis institutis aliud introductum esset, quod certe de quibus-
 dam Galliae partibus IVLIVS CAESAR de B. G. Lib. VI.
 cap. 19. obseruat, sed tantum eo consilio constitueretur, quo
 vxor exclusa a fratribus ab hereditate paterna mortuo mari-
 to alimenta haberet; hanc dotem, quam sequior aetas
 primum in Gallia, deinde etiam in Germania doarium, dota-
 litium, vidualitium appellavit, quamque dare moris erat ad-
 huc tum, cum Germani aliarum gentium exemplo diuites
 atque pecuniosas vxores ducerent, id quod iam Seculo XI.
 XII. et XIII. euenit, vbi filias a parentibus dotatas animad-
 uertunt et exemplis adductis probant KOPPIVS c. I. c. §. 7.
 et DAV. GEORG. STRVBEN vom Ursprung des teutschen
 Wittums und Leibgedings, in hor. Subces. Part. V. Obs.
 XXXVI. §. 2. mariti non solum in allodio, sed hoc non
 sufficiente postea etiam in feudo vxoribus constituerunt, ita
 quidem, vt quod in primis rationem dotalitii in feudalibus
 bonis constituendi attinet, viduae vel tantum redditus cliente-

lae

lae assignarent, vel feudum in ius vtiendi et fruendi tradere-
rent, aliquantum tamen melius, quam e lege Romana. Vid.
CHLADENIUS c. I. §. 4. Nam adeo meliorem fundi sa-
ciem reddere poterat vidua, nec ad praefstandam cautionem
vſuſructuariam, quam Iuris Romani praecepta de vſuſructu
exigunt, obſtricta tenebatur, quemadmodum pluribus pro-
bauit **G**EORG. **F**RID. **D**EINLEIN de vidua vasalli ab vſuſructuaria
cautione intuitu dotalitii immuni. Praeterea vero
ipſum nonnunquam praedium reperimus vxori in euentum
viduitatis dotalitii nomine ita concessum esse, vt id nexu
clientelari teneret. Certe **I**O. **L**AVR. **F**LEISCHER *Inſtit.*
Iur. Feud. cap. XX. §. 6. putat olim plerumque non nudum
vſumſructum aut certos e feudo prouentus, sed feudum
ipſum vxori in dotalitium datum esse. Fit huius feudi haud
dubie mentio in *Iur. Prou. Saxon. Lib. III. art. 75.* in ver-
bis: *am Lehen bey des Mannes Leben haben sie (die Frauen) al-
lein ihr Geding, und nach seinen Todte so iſt dann erſt daran ihr
Recht Lehn zu ihrer Leibzucht;* et in *Iur. Feud. Sax. cap.
XXXI.* vbi dicitur: *Dinget ein Man ſine Wibe gut mit ſiner
ſonne gelobde &c.* Perinent quoque hic verba *Iur. Feud.
Alem. cap. LXIV.* quae ſi habent: *Eigent ein Mann ſine
Lehen mit ſines Herren hant und mit ſinare lehns Erben wille
derumbe das es ſin Wibe werde.* Quibus in locis quemad-
modum verba *Geding* atque *dingen* **I**O. **S**CHILTERVS ad

Ius

VIII

*Ius Feud. Alem. cap. 64. §. 2. capit de inuestitura eiusque concessione de feudo post mortem possessoris etiam quoad possessionem acquirendo, ita vocabulum *eigen*, quod alioquin appropriare i. e. feudum allodii iure alicui conferre significat, ad eund. loc. §. 4. explicat, largiri tanquam feudum, dare sub lege feudi, ut adeo *eigen* et *leihen nach geding* Recht synonima ipsi videantur. Nec obscura huius feudi vestigia occurrunt in Iure Feudali Scotorum antiquo, quod vetusti juris clientelaris tenacius esse aliis scribit idem SCHILTERVS 1. c. §. 3. Nam THOM. CRAGIVS quidem, qui de Iure Feudali Angliae et Scotiae commentatus est Lib. II. cap. 22. donationis propter nuptias duas refert species, *coniunctam cum marito inuestituram*, et *usumfructum nudum*. Donationem propter nuptias appellat, quod nos verius proprio nomine dotalitium vocamus. Porro de inuestitura, (quam Ius Feud. Sax. *Geding*, Ius Feud. Alem. *Aigen* vocat) ut verba eius hic exhibeamus, licet haec, inquit, vere sit coniuncta inuestitura et dicatur, unus tamen vere proprietarius est (vir) alter ususfructarius (vxor) nisi quod priuilegia quaedam habeat, quae non nisi dominis solent competere, et ab ususfructu natura abhorrent, et licet ex morte totum ius finiatur, ut in ususfructu, nec pauperiem facere posse, nec faciem rei mutare, quae omnia cum vero (pleno) dominio non concurrunt, in quo dominus re sua vti vel abuti potest. Plenior tamen et dignior*

dignior coniuncta inuestiturā est, quam ususfructus, ita ut mera proprietas dici quodammodo possit, dum vita illius, cui debetur, manet; ita tamen ut ab omni alienatione ei interdicatur ex iure. Modus constituendi tale feudum hic erat. Maritus dotalitium vxori concedere volens eius nomine feudum, aut eius partem domino refutare solebat, is vero vxorem de illo tanquam vidualitii feudo inuestiebat, ita tamen ut maritus ipse una cum agnatis coinuestitaram impetraret, ne mortua muliere feudi adipiscendi spe exciderent, sed per hanc simultaneam inuestitaram condominium clientelare, et ius in feudum illud succedendi sibi reseruarent. Hanc certe solemnitatem in largiendo tali feudo adhiberi consuetissime narrat glossae germanicae ad Ius Prouinc. Saxon. Lib. 3. art. 67. compilator, quem Ioannem de Buch nobilem Marchicum seculi XIV. Nicolai a Buch filium suisse euicit VLR. GRUPENIUS in Praef. ad Spec. Saxon. Belgic. pag. 9. 13. et 14. atque constanter hoc nomine appellauit etiam in variis scriptis occasione controuersiae ipsum inter et Senkenbergium super auctore, aetate, et usu Iuris Caelarei agitatae editis, cuius historiam accurate commemorauit Ictus doctus FRID. AVG. SCHOTTVS in Ephemer. iurid. fast. 8. 9. 10. 12. sequ. Ait autem Glossator ad verba *Lehen f. Leibzucht*: *Das dritte heißt Gedinge, das ist das ihr (der Frauen) gedinget ward gegen ihre Mitgabe,*

B

und

und ehe man es der Frauen leihet, so soll der Mann dis-
suffassen, den soll es der Herr leihen, und der Mann soll
mit angreissen. Quo loco et si Glossator principiis Iuris
Iustiniane iam seductus perperam statuit, dotalitum in
compensationem dotis illatae vxori in feudum concedi,
quemadmodum apud Romanos donationem propter nu-
ptias vxori fieri animadueterat, tamen vel ideo laudandus,
quod ritus in constituendo vidualitii feudo obseruati memo-
riam conseruari voluit. Caeterum notat MÜLLERVS c. l.
f. 18. in litteris inuestitutae super tali feudo exhibitis clau-
sulam de resignatione feudi a marito facta contentam, eamque
et retentam sequentibus temporibus fuisse, actu inuestiturae
ipso licet cessante, donec et ipsa haec clausula tandem in desue-
tudinem abiit, solusque domini directi ad dotalitii in feu-
do constitutionem consensu suffecit. Nec silentio praeter-
iit, vocem *angreissen* in Glossa respicere ad morem in curiis
clientelaribus Saxonice antiquitus visitatum, et in quibus-
dam hodienum seruatum, quo in inuestitura principaliter in-
uestiendus, et qui coinvestiuntur astringere manu fasciam
(die *Lehns Binde*) tenentur, de cuius hodierno in Curia feu-
dali Vinariensi in dandis inuestituris vbi, quamvis illa vox
angreissen ibi non amplius audiatur, vt et de ipso inuestiendi
actu etiam nonnulla docte differuit. Rechte tamen mo-
nuit Vir Illustr. BERNH. FRIED. RVD. LAVHN von dem
Unter-

Unterschied der Lehns Pflicht bey der Fürstl. Saechs. Weimar.
Lehns Curie §. 14. ap. 1 ENICHEN in Thes. Iur. Feud. Tom.
III. p. 1045. illum ritum ibi tantum obtainere, si coinvestitura cum ipsa principiali inuestitura uno aetate fiat, contra vero exulare hanc sollemitatem, si separatim communis manus impetretur. Causas cur domini dotalitium uxoriibus in euentum viduitatis adeo feudi titulo concederint plane quidem intactas reliquit MÜLLERVS c. l. at suppeditauit aliquam KOPPIVS c. l. qui in yniuersum inter nostrarum totam vidualitii feudalnis rationem diligentissime atque curatissime scrutatus est. Nempe non satis fuisse dominis putat consensum dedisse, qui, ut iam ante ipsum inuidit ratio-

nibus ostenderunt SCHILTERVS c. l. et SENKENBER-

GIVS Select. Iur. et histor. Tom. III. p. 533. nec non medit. Iuris et histor. fascicul. III. med. I. p. 431. seq. ad ius dotalitii in feudo habendum semper requisitus fuit, perinde ac agnatorum, ob proprietatem feudorum penes dominum remanentem, solo usufructu Iuris Germanici, quem vtile dominium vocant in clientes translato, et ius succedendi agnatis ex inuestitura primo acquirenti impedita, in qua simul comprehensi, competens; ita, ut citra horum utriusque confessionem veri ac firmi iuris in feudo doaria vix manesci quid possit, irritaque sit iure communi omnis mariti atque uxoris de feudi redditibus pro dotalitio habendis

pactio, simulac feudum ad agnatum aut dominum qui non consenserint, devoluatur aut redeat. Adeo dominos maioris securitatis causa opinatur huic consensum interposuisse per inuestituram, quo sibi quouis modo prospicerent, neque detrimentum intuitu feudi ipsius, aut certe seruitiorum inde praestandorum paterentur, a quibus vidua facile se immunem esse contendere potuisset, nisi de dotalicio inuestita esset. Verum enim vero cum vidualitium feudale natura sua a Vasallo constituantur salvo nexu feudali, uti docet BOEHMERVS c. l. §. 234. suisque obligationibus ob beneficium erga dominum contractis cliens haud liberetur, neque definit ipse ad seruitia feudalia exhibenda obstrictus esse, vix mihi persuadeo, solam hanc dominorum suspicionem, ne feudum deterius redderetur, aut seruitia intermitterentur, feudi pro dotalicio dationem effecisse. Et videatur fortasse cauſa eius feudi constituendi etiam quaerenda in peculiari ſauore dominorum erga Vasallos, quorum viuis post mortem maritorum, fortius ius, quam proueniens certos e feudo, quod agnati tenebant, capiendi, concessum, ipsam nempe feudi possessionem dotalitii nomine traditam volebant. Itaque vxoribus in viduitatis euentum inuestituram de integris territoriis ac praefecturis pro dotalicio, quae *Wittums Aemter* vocabantur, impetriri solebant, eum iurisdictione superiori et inferiori, caeterisque iuribus ac

ac praerogatiis, quin etiam regalibus, quae his terrae tractibus annexa erant. Et oportuit adeo subditos harum regionum quemadmodum Praeceptor noster venerandus v. s. r. atque ILL. C. F. HOMMELIVS in *redit Academ. ad Mscou.* de *Iur. Feud.* cap. XIII. §. 10. p. 444. obseruat, ei homagium (*die Wittumshuldigung*) praestare, ad quod etiam tenebantur, si vidua illustris dotalitium non per inuestituram sed per solam cessionem consecuta esset, ut manifesto probant documenta ap. *HORNIVM im Leben Fridr. des Streitbaren* p. 808. et 927. vbi Fridericus Landgrauius Thuringiae vxori Catharinae ao. 1414. Grimmam, Coldizium et Nienhoffium, et idem postea ad Electoratum Saxoniae eneclus rursus has ipsas vrbes eidem coniugi ao. 1427. adiectis Illeburgo, Groitschio atque Pegauia in dotalitium contulit absque omni infeudatione et inuestitura. Caeterum etiam viduae illustres in terris dotalitii nomine acceptis, quamvis de iis non inuestitae, haud secus ac aliae quibus inuestitura data omnia iura et superioritatem territorialem exercuerunt, quod vel patet exemplo Sophiae loh. Georgii Electoris Brandenburgici filiae coniugis Christiani I, Saxon. Electoris, quae Rochlitz ab ao. 1592. et deinde ao. 1603. Coldizii, quas vrbes dotalitii iure tenebat, aylam Cancellariam et Consiliarios vniuersumque regimen habuit, ut refert ABR. THAMMANVS in *Chron. Coldic.* ap. Menken

XIIII

in Script. Rer. Germ. T. II. p. 717. qui simul p. 709
affert clarum exercitiae supremae potestatis exemplum,
litteras Sophiae ao. 1596. ad Senatum Coldiciensem datas,
quibus ei ius Schriftsässicum, vt vocant, hoc priuilegio
auxit, ne a consiliariis ipsius et Capitaneo Rochlicensi, vt
antea factum, Coldicensum res confirmarentur sed vt Se-
natui liceret statim apud Electorem consensum quaerere.
Et aliud insuper superioritatis territorialis exercitiae exem-
plum inde petimus, quod Sophia Vidua ao. 1619. confir-
mavit statuta vrbis Coldiciensis, quae nuper F. A. SCHOT-
TUS in den Sammlungen zum deutschen Land und Stadtrechten
T. II. recudi curauit. Praeterea vero domini vxoribus, qui-
bus dotalitii feuda obtigerant, curatores etiam constitui
iussierunt, qui, quoniam a feminis clientelas possideri veter-
is instituti feudalis ratio haud sicut, donec e singulari do-
minorum voluntate et sub lege constituendi prouafallum
feudorum et successionis in ea capaces declaratae sunt, vxo-
rum nomine inuestituram impetrabant, seruitia praestabant,
reliquisque cunctis obligationibus satis faciebant ex feudo
hoc oriundis, quae ab vxore tanquam vasalla exigi pote-
rant. Quem morem multis exemplis illustravit MÜLLE-
RVS c. I. §. 6. 7. 14. Hoc feudi genus quando primum
constitui cooperit, et si non reperimus, tamen iam seculo
XIII. crebro in usu fuisse demonstrant loca Iuris Provincialis

et

et Feudalis Saxonici atque Alemannici supra a nobis commemorata, quam utramque consuetudinum Germanicarum collectionem isto aeuo factam constat, et ulterius probarunt, qui de aere, auctoribus, atque usu earum de industria expulerunt, quos hic nihil attinet excitare. Postea sequentibus quoque temporibus usque ad seculum XVI. morem feudi dotalitii constituendi durasse euincunt exempla huius rei, quae apud chartarum collectores passim prostant. Iam vero fas est, ut etiam totam indolem atque naturam huius feudi penitus contemplemur, praesertim cum neque MÜLLERVM neque KOPPIVM in ea re inuestiganda videam occupatos suisse. Itaque quod attinet ea, quae feudi essentiam constituunt, et clientelae perpetuo insunt, deprehendimus hic rem i. e. dotalitium sub lege feudi concessum; dominum utile quia vxor mortuo marito facultatem nanciscebatur praedio dotalitii nomine in fendo vtendi fruendi, illiusque possessionem apprehendendi, in quod, dum viueret maritus, tantum expectatiuam habebat inuestitura eventuali munitam, ut clare innuit locus *Jur. Prou. Saxon.* supra a nobis excitatus; deinde dominum directum, neque enim viuenda allodii iure fundum dotalitii tenuit, sed a superiori quodam recognouit; mutuam denique fidelitatem, quia vidua non secus ac aliis vasallis, ad reverentiam specialem et omne genus officiorum, quibus commodum domini promouetur

dam-

XVI

damnumque atteritur ei exhibendum obligabatur, quemadmodum et ipsa a domino vicissim protectionem exigere poterat. Quodsi vero intueamur qualitates iuris feudalis auctoritate determinatas, quas Iuris Longobardici compilator II. F. 2. communem feudorum rationem, interpretum autem consuetudo *naturalia* vocat, dotalitii feudum perinde ac aliae clientelae ex natura beneficiariae concessionis, in re immobili consistere debebat, nec alienari poterat absque domini consensu, et a vidua perpetuo. certe quam diu vitam degit, habebatur, sic ut ei auferri non posset: quoniam vero communis feudorum natura eatenus immutata, ut vidua domino seruitia et iusurandum fidelitatis per procuratorem praestaret, per eumque inuestituram quoque impetraret, et si mutatio in manu dominante evenisset, renouaret, Feudum hoc improprium erat. Caeterum vidualitii feudum ex regula neutriquam femininum, et ne vicinum quidem negotium feudo successione feminino nobis fuisse videtur. Nam feudum hoc a marito aut alio quodam maiorum illius non hoc pacto acquisitum, ut feminis etiam successio pateret, ut feminum prorsus non erit, ita, si per legem inuestiturae primo acquirenti impertitae feminis iure succedendi simul prospectum, feminum feudum quidem erit, sed verum, non tale, quod tantum vicinitatem cum eo habeat. Et inde, quod vxor fundum in dotalitium datum feudi titulo tenebat, non poterit inferri

XVII

inferri, feudum hoc negotium feudo successione feminino vicinum fuisse. Vidua enim tantum, dum vixit, dominio vtili tanquam Vasalla temporaria gaudebat, vbi vero mortua erat, ei haud successerunt in feudum hoc, nisi masculi, filii et nepotes, hisque deficentibus agnati qui vna cum marito, a quo in vxoris fauorem feudum refutatum, per nouam coinuestituram impetratam succedendi ius sibi reseruarunt. Sed veniamus quoque ad exempla, quibus erudit morem vxoribus dotalitium in feudum dandi illustratum iuerunt. *FLEISCHERV*S quidem c. 1. §. 15. not. f.) quo vsum huius rei in feudis regalibus probet, ab Henrico Aucupe et Rudolpho Duce Austriae dotalitia uxoribus ita constituta esse scribit. Et sane Henricum Aucupem Mathildi uxori consentiente patre Ottone illustri Duce Saxonie Walhusum urbem in Thuringia ad Helnum fluvium haud procul a montibus Harcicis sitam, vbi saepe diplomata data, omneme quod ad eam attinet in dotem tradidisse, resert. Auctor *vit. Mathild. regin.* cap. I. ap. Leibnitium *Script. Rer. Brunsv.* T. I. p. 195. et *MADERVS in Antiquit. Brunsvit.* p. 102. adeo chartam de ao. 929. vbi imperator ille uxori donauit loca quaedam et ciuitates, exhibet, a multis aliis v. c. Leuckfeldo, Kettnero, et Heineccio postea denuo editam. Extant quoque apud *LEIBNITIVM in Cod. Iur. Gent. diplom.* p. 39. tabulae continentes promissionem Alberti Regis

C

Roma-

XVIII

Romanorum mense Augusto anno 1299. factam, qua ob matrimonium inter Rudolphum filium primogenitum et Blancham sororem Philippi Pulchri regis Franciae contractum dedit Rudolpho Austriae et Stiriae ducatus, Blanchae autem in dotalitium Alsatiae et Friburgensem terram. Enimvero eum inuestitutae Mathildi atque Blanchae de his regionibus tributae, et curatorum intuitu vidualitii huius vtrique constitutorum simulque inuestitorum in tabulis excitatis mentionem factam haud deprehenderim, solus autem consensus patris, vrpote domini directi concessionem feudi in dotalitium haud operetur, quo semper opus fuit ad dotalitii ius in feudo habendum, etiam si inuestitura peculiaris de terris in dotem assignatis haud accederet, non sine ratione dubito in his exemplis species feudorum in dotalitium consueto more datorum agnoscerere. Deinde Dorotheam Susannam Ioannis Wilhelmi Saxonie Ducis coniugem, cui ob dotalitium, obseruante MÜLLERO c. l. §. 7. curatores dati sunt Ernestus Comes Hennebergicus, et quidam e Ducis consiliariis, non inuenio illud sub iure feudi tenuisse, vt quidem FLEISCHRVS c. l. existimat. Nam in pactis dotalibus inter FridericuM III. Electorem PalatinuM nomine filiae et Io. WilhelmuM Sax. Ducem Heidelbergae an. 1560. initis ap. LÜNIGIVM in Archiu. Imper. part. Spec. contin. II. p. 315. et ap. DVMONT Corps diplom. T. V. part. I. p. 62. coniungi quidem

XIX

quidem a marito Saxoburgum castrum in dotalitium assignatum, inuestitam autem de eo ibi nec vspiam alibi legi. Ita nec Elisabethae Hassiacae, Ioannis Saxoniae Ducis Georgio nati viduae, cui praefecturam Rochicensem et alia quae-
dam Misniae loca cum omni iure cessa fuisse obseruat **F L E I-**
S C H E R V S c. l. e S E C K E N D O R F I O, qui id in *histor. Lu-*
theranismi Lib. III. Seſt. XVII. §. 65. lit. c) ad an. 1738. te-
ſtatur, inuestituram dotalitii nomine datam appetet. Nec
denique Margarethae Alberti Burggrauii Lignicensis con-
iugi, cui domum Mutschens cum pagis a Misniae Marchioni-
bus ao. 1350. in dotalitium datum constitutis simul curatori-
bus nobili Thymen a Koldiz ipsius Mareschallo et alio eius-
dem nominis agnato animaduertit **H A L T A V S I V S c. l.** con-
ſtat inuestituram impertitam esse. Magis indubitate fidei
ſunt reliqua exempla feudorum dotalitii, quae **F L E I S C H E-**
R V S c. l. commemoravit. Nam Catharinam Henrici XII.
Comitis Hennebergici filiam ao. 1346. Friderico Strenuo
Landgrauio Thuringiae in matrimonium collocatam in do-
talitium quasdam in Franconia ad ditionem Coburgenſem
pertinentes terras tanquam feudum per inuestitaram insimul-
que in hoc vidualitio pariter ac reliquis feudalibus bonis
curatorem ab Imp. Carolo IV. ao. 1367. Fridericuſ V. Burg-
grauium Norimbergenſem maritum ſororis Friderici Stre-
ni inuestitum accepiffe; deinde Elisabetham Iodoci Mora-

C 2

uiae

XX

uiae Marchionis ao. 1410. in Imperatorem electi filiam Wilhelmi Marchionis Misniae coniugem, cui maritus in dotalitium dederat *Lyzsnick Haws und Stadt cum omnibus pertinentiis und die Lehen über die Burggrafschaft zu Meissen* de iis bonis ab Imp. Wenceslao ao. 1389. cum curatore fratre Iodoco Morauiae Marchione, quem sibi ipsa elegerat, et Imperator quoque confirmauerat, inuestitam ostendunt litterae clientelares ap. MÜLLER VM c. I. §. 3. p. 29. 31. et LÜNINGIVM in Corp. Iur. Feud. Germ. T. I. p. 587. et 589. His addo exemplum Pazae filiae Ioannis Burggrauii de Hammerstein, cui propter nuptias donationem in bonis Imperii feodalibus a marito Gerardo Burggrauio de Landscron factam Albertum Rom. Regem iure feudi concessisse regiaque auctoritate confirmasse, litteris feodationis sigillatis et missis probat charta de an. 1307. ap. GVDENVM in Cod. diplom. T. II. p. 991. Porro Margaretha Misniensi Alberti Pulchri Burggrauii Noribergensis filiae, quae nups erat Balthasari Landgrauio Thuringiae et Misniae Marchioni dotalitium in oppidis et castris quibusdam ecclesiae Moguntinae clientelari iure affectis constitutum ao. 1385. d. 22. Febr. dato ipsi curatore Friderico Burggrauio Noribergensi testantur litterae consensus ab Adolpho Archiepiscopo et Electore Moguntino exhibitae ap. GVDENVM c. I. T. III. p. 559. Sed haud opinetur quisquam inter solas illustres personas inuatuuisse inuestitu-

inuestituras de feudo regali in dotalitium dato ob regalia iura simul concessa. Etiam nobilitatis inferioris viduae feuda non regalia vidualitii nomine per inuestituram adeptae sunt, et certe morem nobilium viduas de dotalitio inuestiendi non solum in Saxonica, sed et Colonensi, Halberstdiensis atque Hanouensi curiis clientelaribus vistitatum fuisse, monumenta nonnulla clare demonstrant. Ut enim non reperam exempla Hermanni Schaaffs vxori Catharinae omnia sua praedia cum omnibus iuribus, nec non Mathess a Griflaw vxori Walpurgi praedium Arnsnesta cum pertinentiis dotalitii nomine ritu consueto concedentium, quam utramque a Friderico Duce Saxoniae tanquam de feodo inuestitam et curatores accepisse litterae inuestiturarum de ao. 1487. et 1488. euincunt ap. MÜLLERVM c. I. §. 16. p. 46. seq. et ap. LÜNIGIVM c. I. T. II. p. 553. Wilhelmus Marchio Misniae in diplomate de ao. 1406. in Schoettgen und Kreyfigs Nachlese der Historie von Obersachsen P. II. p. 298. et ap. HALTA VSIIVM c. I. testatur, se Agathae Monhauptae oppidum Wilenstorff quod Nicolaus ipsius maritus possedit, et refutauit, aut ut verba habent, das er uns nach Gewohnheit des Landes aufgelassen, und wieder mit angegriffen hat, in dotalitium contulisse legitime constitutis vxori curatoribus Nicola, et Maza Karazio. Porro apud GUDENVM c. I. T. II. Engelbertus Archiepiscopus et Elector Colonensis Ao. 1365. Iuttae Haynensi vxori Gerardi de Eynenberg vsumfructum

C 3

curtis

XII

curtis Igelsau in dotem assignatum ratificat eiusque nomine
inuestituram mittit. Deinde Dietericus Archiepiscopus at-
que Elector Coloniensis Elisabetham Francisci filiam vxorem
Frankii ab Vdesheim de curia Sultzenſi (*mit dem Hause zu*
Sultze) quam maritus ei in dotalitium dederat, per proua-
ſallum ao. 1440. inueſtituit. Sic et Iohannes Episcopus Hal-
berſtadiensis Lutradae, quae a marito Ulrico Comite ac
Dynaſta Regenſteinii et Blankenburgi bona quaedam in vi-
dualitum acceperat, ao. 1424. inuestituram tribuit. Deni-
que Anna Rotzmenni ab Eiffeld de dotalitio, quod mari-
tus Hartmannus a Moſchenheim ei reliquit, postquam ipsa
Quirinum a Carben generum curatorem sibi elegerat, a Phi-
lippo et Iohanne Comitibus Hanouiensibus ao. 1576. inueſ-
tituta est. Litteras harum inuestiturarum exhibet KOPPIVS c.
l. p. 222. sequ. Tandem exemplum Hugonis Burggrauii
Leisnicensis Catharinam Georgii Fromels ciuis Penicenſis
vxorem de bonis, quae maritus sub feudi lege a Burggra-
uio tenuit, coniugi autem in dotalitium dederat, ao. 1509.
ritu confueto inuestientis attulit HALTAVSIUS c. l. sub vob.
Leibguth. Nec silentio practereundum est, ministerialibus
atque officialibus concessum fuisse, feuda, quae ob officium et
ministerium possidebant, in dotalitium dare. Nam SCHIL-
TERVS c. l. cap. 113. §. 3. laudat chartam, vbi ab Edelino
Abbate Wiffenburgenſi ao. 1260. Iohanni de Methi pote-
ſtas facta Utam vxorem dotandi bonis in Huchelheim et

Ingen.

Ingenheim sitis, quae ab Ecclesia nomine Officii Mareschali tenuit, nec non aliam de ao. 1356, in qua Ioanni a Scharpenecke hoc datum, ut coniugi Christianae Hermanni a Castel filiae officium Mareschalei in dotalitium concederet, quod ei etiam ab Abbe confirmatum, sic, ut vxoris vice alias feudi capax officium illud praefaret, et prouasallagium susciperet. Verum enim vero mos ille viduas de dotalitio tanquam feodo inuestiendi, satentibus omnibus, iam dudum in desuetudinem abiit, et recessum eatenus est a patro et antiquo iure, ut placeret dotalitium fere sine inuestitura per merum vsumfructum constitui, tam in feudalibus quam allodialibus bonis. Id maxime contigisse obseruat SCHILTERVSC. I. cap. 64. §. 8. postea quam Ius Romanum in foro Germanico pedes fixit, cui opinioni et FLEISCHERVS C. I. cap. 20. §. 7. assensum praebet, insimul tamen addens, vigore adhuc hodie nonnullis in locis ius antiquum, et interueniente prouasallo feudum dotalitii constitui solere, idque de terris Baruthinis testari 10. CHR. SCHROETERVM in diff. de curatore feudi th. 12. Et sane is certe id tantum com memorauit, moris ibi esse, ut in causa dotalitii constituti in feudo vidua curatorem dare teneatur, curiam enim feudalem in causa A. R. de K. contra K. Z. W. anno 1692. pronunciasse, das von der Wittbe ein Lehn Träger zur administration der Lehen gestelllet werden müsse, adiecta ratione, das folches des Lehnhofer Gebrauch sey, licet caeteroquin inuestiturae

pecu-

XXIII

peculiaris vxori de dotalitio tanquam feudo impertiri in illa
regione solitae, vti olim vetus Germanorum consuetudo
fuit, expressis verbis haud meminerit. Sed veniam ad ea,
quaes hanc differendi occasionem mihi praebuerunt. Placuit
SERENISSIMO atque POTENTISSIMO PRINCIPI
FRIDERICO AVGVSTO DVCI SAXONIAE S. R.
I. ARCHIMARE SCHALLO et PRINCIPI ELECTORI,
Domino meo clementissimo, Patriae Patris indulgentissimo
munus iura extra ordinem in celeberrima hac Litterarum
Vniuersitate publice docendi benignissime mihi demandare.
Cuius muneric auspicia cum more maiorum capere decreu-
rim oratione solemnis et publica gratiarum actione, RECTOR-
EM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLVSTRISSI-
MOS COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCE-
RES, GENEROSISSIMOS denique atque PRAENOELIS-
SIMOS COMMILITONES, ut proximo Mercurii die hora
ante meridiem nona in auditorio Iureconsultorum frequenti
sua praesentia me cohonestare, et de meritis ICtorum Lipsiensium
in Iurisprudentiam feudalem breuiter dicentem, insimulque
pro OPTIMI PRINCIPIS et eius Electoralis domus incolumi-
tate vota nuncupantem beneuole audire velint, vehementer et
maximis precibus rogo atque oro. P. P. in Lipsica Littera-
rum Vniuersitate, die Dominica Reminiscere, anno a C. N.
CIOCCCLXXVI.



Leipzig, Diss., 1764-2

ULB Halle
007 411 979

3



vdp

TA-OC



B.I.G.

Black

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



8
7
6
5
4
3
2
1
Centimetres
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19

D E

FEVDO DOTALITII
COMMENTATIONEM
ORATIONI SOLEMNI
ADEVNDI MVNERIS CAVSSA
IN AVDITORIO IVRIS CONSVLTORVM

A. D. VI. MARTII A. C. CLXXXVI.

H O R A I X.

RECITANDAE PRAEMISIT

CHRISTIANVS RAV,
PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE DOCTOR,
PROFESSOR IVRIS PUBLICVS EXTRAORDINARIUS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA

Gr. Dr. Klem.